

NUMMUS CASTRENSIS

JOACHIMI II. ELECTORIS

Brandenburgici: Cufus ante expeditionem Hungaricam, totius imperij nomine auspiciisque susceptam. Anno Christi 1542.



IOACHIMUS Secundus, Marchio Brandenburgensis Elector, Dux Pomeraniae, Stetini Cassubiorum, &c. prima militiae tyrocinia in Hungaria, vivente adhuc patre Joachimo Anno 1532. feliciter posuit: Turcam in praelio ad vicum Leopoldianum cum duobus equitum millibus fudit, fugavitque, Unde à Carolo V. Imperatore cingulo equestri donatus est. Postea in bello Hungarico, quod Ferdinandus Rex non tam cum vidua Johannis Sepusij, quam cum ipso Turcarum Imperatore, Budâ jam paulò ante captâ, gessit Anno 1542. decreto Procerum Imperij, in Comitibus Spirensibus Dux belli electus, apparatu bellico, & milite copioso validissimè instructus, nullis parcens sumptibus, qui ad bellum cum tanto hoste gerendum requiruntur, spretis difficultatibus & periculis omnibus, magno & invicto animo in Hungariam contendit. Ac licet tunc quidem multis de causis susceptae expeditionis impedita felicitas fuit: attamen Joachimus id saltem praestitit, ne hostes factâ impressione latius progredirentur. Itaque Ferdinandi fines in Hungaria, à atrociniis, vastationibus, incendiis ac saevitia barbarorum tutos servavit. De Pericle Atheniensium Duce legimus, quod, quoties Praetor creatus Chlamydem indueret, ante omnia seipsum solitus sit affari, quasi commonens: *Attende tibi Pericle, liberis imperas; Graecis imperas; Atheniensibus imperas. Fallor, aut similem ad modum seipsum in symbolo exuscitat Princeps laudatissimus? Cogita, Joachime, quod de fortitudine*